

planè attingit de Confirmationis Sacramento per Episcopum ministrando. Verùm, si quem umquam Episcopum laudabile studium incenderet sectandi exemplum S. Caroli Borromæi, sacroque Chrismate confirmandi suos dioecesanos peste laborantes, vix ulli cautelæ præscribendæ, adhibendæque locus fore videtur; perbrevis namque est actio, quoties ad certum aliquot personarum numerum confirmandum redigatur; nec quidquam est, quod resecuri valeat vel ad ipsam actionem breviorē efficiendam, vel ad avertendum à Ministro, quantum fieri potest, imbibendæ pestis periculum.

XIII. Ritus descriptus in Pontificali Romano, à Clemente VIII. & Urbano VIII. Romanis Pontificibus approbato, id est. Episcopus Spiritum Sanctum invocat super eos, qui Chrismate sunt liniendi; seque dextera manu à fronte ad pectus signat; inde manus protendit ad eos, quibus Sacramentum est administraturus, iterum super eos invocans Spiritum Sanctum. Sacræ recitandæ preces in eodem Pontificali leguntur; ubi deinde subjungitur, quod Episcopus intingit pollicem in sacrum Chrisma, quod est oleum ex olivis expressum, immixtoque balsamo jam benedicto, & dum Cruce signat frontem illius, qui Sacramentum suscipit, formam pronuntiat; qua absoluta, confirmati genam leviter percussit, eidem pacem annuntians; recitatisque nonnullis aliis precibus ibidem expressis, benedicit iis, quos confirmavit.

XIV. In toto sacræ hujus actionis decursu nil aliud reperire est, quod ad eam contrahendam, arcendumque ab Antistite contagionis periculum omitti possit, præter ritum illum percussendi cujuslibet confir-

mati genam; qui ritus ideo fuit inventus, ut confirmatus meminerit, paratum se esse oportere ad adversa omnia pro Christi Fide viriliter perferenda, ut legitur in Cathecismo Romano. De hoc ipso ritu Nos aliàs egimus in *nostra Instit. 6. §. ult. & plura eruditè disseruit Martene de antiquis Ecclesiæ ritibus lib. 1. cap. 2. art. 3. num. 13.* Latet adhuc, quo tempore primum inoleverit hujusmodi cæremonia, quæ cum ad essentialiam & validitatem Sacramenti non pertineat, prætermitti sanè posset; sicuti etiam, ad sese celerius expediendum, Episcopus missas facere posset postremas illas preces, quæ collato jam Sacramento recitantur. At quæ umquam cautio esset hæc? quamque sibi majorem securitatem, si illa uteretur, Episcopus polliceri posset. Fortassè, ea adhibita, nil aliud consequeretur, quam ut ab iis, qui adessent, improbaretur, & parùm religiosus Præsul existimaretur.

XV. Si quis autem fortè id proponeret, quot (uti inferius animadvertemus) ab aliquibus suggestum fuerat quoad Extremam Unctionem peste contactis administrandam, ut scilicet ad consignandam confirmandi frontem salutiferæ Crucis signo adhiberetur penicillus intinctus in Oleum balsamo immixtum, absque eo quod Minister proprio pollice infectum peste signando contingeret; ambigendum valdè esset, an id fieri jure posset, & an validum foret Sacramentum hæc ratione collatum. Legatur Suarez *tom. 3. in 3. part. D. Thomæ disp. 33. sect. 3. in fin.* ubi proponit quæstionem à nullo alio præcedenter propositam, an sit de essentia, ut unctio fiat proximè manu, & pollice Episcopi, vel eadem peragi possit medio aliquo instrumento, puta penicillo, aut alio simili; respondetque, unctionem fieri debere pol-

pollice dextera ipsius Episcopi Chrismate tincto, de necessitate præcepti, cum sit res gravis, & ab Ecclesiâ servata, & præscripta in ritu tradendi dictum Sacramentum; & deinde subdit, probabile sibi videri, esse etiam essentialè & necessarium necessitate Sacramenti, ut unctio fiat immediatè manu, seu digito Episcopi. Et Suarezium sequuntur de Marinis *ad 3. part. quæst. 72. art. 12. cap. 5. in fin.* Reginaldus *tom. 2. lib. 28. cap. 2. n. 10.* Layman *lib. 5. tract. 2. cap. 2. num. 5.* Clericusus de *Confirmatione decis. 56. num. 12.* Lacroix *lib. 6. part. 1. num. 380.* Diana *in edit. coord. tom. 1. tract. 2. resolut. 6. num. 4.*

XVI. Plures quæstiones de hoc Sacramento instituunt Theologi. Prior est, an Apostoli ipsa manuum impositione Confirmationis Sacramentum ministrarint; id quod affirmant aliqui, quibus perspicuus in hanc rem videtur textus *Actuum Apostolorum cap. 8. vers. 17. & cap. 19. vers. 6.* alii verò contendunt, Apostolos usos etiam fuisse sacro Chrismate, licet nulla de eo in Actibus occurrat mentio; cum prioribus ipsis Ecclesiæ sæculis adhibitum memoretur Chrisma in Confirmationis ministratione. Altera quæstio est, an sola manuum impositio sit hujusce Sacramenti materies. Affirmant itidem nonnulli, ex his nimirum, qui pro certo habent, Apostolos, eorumque successores, per plura sæcula, hoc Sacramentum sola manuum impositione contulisse. Alii contra tuentur, materiam hujusce Sacramenti esse sacrum Chrisma; illius autem applicationem confirmandi fronti cum signo Crucis peractam, esse materiam proximam; in id proferentes Eugenii IV. Pontificis Decretum pro Armenorum instructione editum. Alii verò, manuum impositionem, &

Chrisma simul jungentes, contendunt, utrumque esse Sacramenti materiam; ita ut sola impositio manuum sit materia inadæquata; itidem materia sit solum Chrisma, utrumque autem, simul junctum, adæquatam completamque Sacramenti materiam constituat. Reliqui tandem, cum satis assequi non possint, quo alio pacto dici valeat, juxta ritum nunc temporis in Ecclesiâ Occidentali vigentem, imponi manus super confirmandos ab Episcopo Sacramentum ministrante; siquidem ea manuum protensio versus confirmandos, quam Episcopus habet, dum primas recitat preces, nequaquam manuum impositio super eos jure ac propriè dici posse videtur; addito etiam, quod aliquandò non parum temporis intercedit inter memoratam manuum protensionem, & admotionem, sive applicationem sacri Chrismatis eorum frontibus, qui confirmantur; ideo rem ita temperant, ut etiam hodie in Occidentali Ecclesiâ vigere dicant disciplinam imponendi manus in ministrando Confirmationis Sacramento, cum sine admotione, atque impositione manus, inungi nequeat illius frons, qui confirmatur; atque ita manuum impositionem cum applicatione sacri Chrismatis propriè jungunt & nectunt.

XVII. Porro ex his, quæ hæcenus allata sunt, satis colligitur, hoc planè communiter Theologos sibi sumere, ut uno, alterove modo tueantur, inesse in administratione Confirmationis manuum impositionem. Difficile autem foret, certum illi locum statuere, si daretur, confirmandi fronti cum signo Crucis peractam, esse materiam proximam; in id proferentes Eugenii IV. Pontificis Decretum pro Armenorum instructione editum. Alii verò, manuum impositionem, &

tensione, quæ fit per Episcopum, dum priores recitat preces; præter ea, quæ paulò ante dicta sunt, hæc superaddi posset satis firma replicatio: quod cum Episcopus sub functionis exordium primam orationem recitet, simulque manus protendat super eos, qui præsentés adsunt Sacramentum suscepturi, nec amplius eandem orationem repetat, manusque protendat ad eos, qui præsentés non aderant, cum primum hæc præstitit, sed paulatim subingressi sunt in locum eorum, qui Chrismate inuncti recesserunt; cumque hujusmodi agendi ratio communiter recepta sit, & passim servetur nemine penitus contendente, propterea nullum irritumque esse Confirmationis Sacramentum sic administratum iis, qui in locum priorum successerunt; satis id est ad evincendum, manuum extensionem, quæ prædicato tempore fit ab Episcopo super confirmandos, neque reipsa esse, neque censi eam manuum impositionem, quæ ad validitatem Sacramenti requiritur. Verum quidem est, à quibusdam non improbari penicilli usum in ministrando Extremæ Unctionis Sacramento; at simul satis constat, in hoc Sacramento; impositionem manuum non requiri, sed unctione tantummodo opus esse, quæ pollice æquè ac penicillo perfici potest. Si verò aliis quispiam, ejusdem assumpti tenax, hoc allegaret, & in medium proferret, manuum impositionem locum indubiè habere in collatione trium Ordinum, quos hierarchicos vocant, Episcopatus nimirum, Presbyteratus, & Diaconatus, & tamen eam expleri, atque agnosci in instrumentorum porrectione, quam collator Ordinum præstat suscipientibus; sat erit animum ad ea referre, quæ superius lib. 8. cap. 10. adnotata

fuérunt, ut perspecta fiat infirmitas hujusce assumpti; cui propterea, veluti nimis labili fundamento, inniti non potest ritus, hactenus in Ecclesia inusitatus, ministrandi nimirum adhibito penicillo Confirmationis Sacramentum.

XVIII. Quod spectat ad Baptismatis administrationem, nihil planè est, quod non præviderit, cuique cumulatè non prospexerit præfata quinta Mediolanensis Synodus Provincialis; cujus sanctionibus consentanea tradunt tam qui antea, quam qui subsequentibus temporibus scripserunt. Illud pro regula receptum est, ut recens nati infantes, de quibus periculum esse videtur, ne statim intereant, illicè Baptismalibus undis abluantur, prætermisus usitatis caeremoniis, & solitis ritibus, qui si iidem baptizati superstites vivant, ab Ecclesia suppleantur, omissa forma, & ablutione, ut adnotatum est in Rituali Romano. Id ipsum planè servandum venit, cum baptizatur infans, qui ex matris utero prodiit peste infectus, seu qui morbi suspicionem secum affert, propterea quod ex matre jam peste infecta genitus fuerit: "Infans nuper natus peste laborans, aut eo nomine suspectus, quia à matre pestifero morbo affecta ortus est, quamprimum ob instans mortis periculum à Sacerdote, peste laborantium curam gerente, infusionis ritu baptizabitur, aliis statis caeremoniis tunc non adhibitis, &c." Postea si infans superstes erit quamprimum ab omni suspicionem liber erit, in Ecclesiam Parochialem suam Sacerdoti Parocho offeretur, qui ex Ecclesie Instituto reliquas stas caeremonias ei adhibebit." Sunt hæc concepta verba sæpè dictæ quintæ Synodi Provincialis Mediolanensis tit. de *B. pismo infanti peste laboranti, suspectove, ministrando*. Præstat quoque

in

in hanc rem illud commemorare, quod ipsemet Sanctus Carolus scripsit ad Cardinalem Gabrielem Palæottum in quadam epistola, relata in notis ad illius vitam per Giussanum conscriptam lib. 4. cap. 8. lit. B. pag. 322. nimirum, ob savientis pestis calamitatem, adductum se fuisse, ut nonnihil deflecteret à veteri Ambrosianæ Ecclesie disciplina, juxta quam baptizandus infans sacro Ponti immergebatur, permittendo, ut administraretur Baptisma, adhibito infusionis ritu. „Licet enim numquam mori Borromæus timuit, tamen vivere etiam nunquam recusavit; immò in epistola quadam ad Palæottum Episcopum Bononiensem affirmat, immutatum pro ea temporum calamitate aliquantulum Baptismi administrandi Ambrosianum ritum, & mersione infantis omissa, aqua infusa abluere recenter natos tum primum consuevisse, ut aliquo modo pesti contrahendæ periculum præcaveretur.“

XIX. Sequitur nunc, juxta ordinem hoc in capite statutum, ut de Pœnitentiæ Sacramento pauca dicamus. Porrò circa rationem, seu modum illud administrandi, grassante peste, vel in Ecclesiis cum viri, ac foemina peccata Sacerdoti aperire cupiunt, vel in privatis domibus, cum necesse est eum ingredi ad excipiendam peste laborantium Confessionem, non est, cur hic pluribus disseramus; sufficit enim lectorem remittere ad eandem quintam Synodum Provinciale Mediolanensem, cujus sanctiones, unâ cum concordantium Scriptorum auctoritatibus, retulit Pontas in suo *Dictionario Casuum conscientie tom. 1. verb. Curatus cas. 4. & Muratorius in suo tractatu de Peste lib. 3. cap. 4. pag. 355. & seq.* Hic autem pag. 364. æquum censet, & in praxi

Tom. II.

usuque servandum, quod docent Zambranus, Granadus, Layman, Coninchius, Hurtado, Turrianus, Suarez, & Diana; licere nimirum absolutionem impertiri peste infecto, quamvis nondum integram peccatorum confessionem expleverit, quoties Confessarius probabiliter vereatur, ne & ipse pestilentem morbum contrahat vel ex nimio foetore, vel ex diuturniore mora cum ægrotante habenda. Huic sententiæ adhæret quoque Pasqualigus in *Theoria, & praxi jurium, obligationum, & privilegiorum eorum, qui in periculo, aut articulo mortis constituuntur*. Percurratur ejusdem *quest. 142. num. 3. & seq.* At sententiam hanc acriter oppugnat Marchinus in suo *Tractatu de Peste part. 3. cap. 4. n. 5. & seq.* ea potissimum ratione nixus, quod Confessarius, qui integram pœnitentis Confessionem non audit, exploratum non habet ejusdem conscientie statum, neque dici potest proprio muneri satisfacere; est enim ipse animæ medicus; quapropter, sicuti corporeæ vitæ medicus suo certè deesset muneri, si ægrotanti pharmacum aliquod præscriberet, non explorata prius, ac probè cognita illius morbi natura & statu; ita, inquit ille, affirmandum est, suo muneri planè deesse spiritualem animæ medicum, cum pœnitentem absolvit, non audita prius integra illius peccatorum Confessione, & satis habens aliqua tantum ex iis intellexisse. Addit insuper, agi hic de validitate Sacramenti ad æternam salutem necessarij, ideoque, ex rei natura, & Pontificum decretis, oriri obligationem amplectendi eam sententiam, quæ tutum proponit, & requirit remedium. Ita disserit præcitatus Auctor cum aliis non paucis; qui quamvis pœnitentem ab integritate Confessionis aliquando ex-

Y 3

cu-

cusari posse admittant, tunc scilicet, cum si quod peculiare factum Confessario aperiat, grave aliquod damnum aut sibi, aut alteri obventurum haud temerè pertimescat; ipsum tamen Confessarium negant posse, absque lethalis peccati noxa, sese subtrahere ab onere audiendi integram Confessionem, etiam peste contacti, qui integrè confiteri cupit, quantumvis illi contrahendæ pestis periculum se objiciat; cum propriam ipse vitam in conceditarum sibi animarum salutem cuilibet periculo exponere teneatur.

XX. Disserendum tandem superest de administratione duorum Sacramentorum, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis. Qua in re si sustineri tutò potuisset, quæcumque à S. Carolo Borromæo gesta fuerunt, non tam ab illius heroicæ perfectionis studio, quàm à communi lege & obligatione profuisse, facile omnino fuisset ad propositum à Vicario Apostolico Julix Cæsareæ postulatum respondere; nimirum duo illa Sacramenta fidelibus peste correptis eadem planè ratione ministranda esse, qua benè valentibus administrantur; ita enim se præstitit S. Carolus, atque ita quoque cavit in suo quinto Provinciali Concilio. Quod etiam perspicuè deprehenditur ex duabus ejusdem epistolis ad Ariminensem Episcopum datis, altera quidem die 18. Julii, altera verò die 5. Augusti anni 1577. quæ referuntur ab eo, qui elucubratis annotationibus locupletiorum facit Sancti Præsulis vitam à Giussano conscriptam, *præcitato loco*. Et quidem in priorè epistola ita legitur: „Scribis, „isthic dictitatum, à me fuisse adhibitum cochlear, quo ægris sacra Altaris mysteria porrigerem. Hoc certum habe, id officii manibus sem-

per meis præstitum fuisse quibus, etiam sacro Oleo morientes inunxi. „Cur enim ab humana ope subsidium mutuarem, cum mihi Deum adfore certò sperarem? Fatendum tamen est, quædam mihi indicata remedia numquam fuisse neglecta. Secundæ verò epistolæ hæc alia sunt verba: „Aliquorum metu inductus, erat hic mos, pestilentix initio, ut argenteo cochleari infirmorum labiis Christi Corpus offerrent; sed in quodam congregato Theologorum cœtu sancitum est, ne id deinceps auderent; immò prohibitum est, ne id Patenæ etiam porrigendæ usus, qui tamè prius retentus cum Sacerdotibus fuerat, mox deinde intermissus. Deinde in præcitata sua quinta Provinciali Synodo *tit. Cautio in Sacerdote ministrante*, ita decretum fuit: „In omni Sacramento, multoque magis in sanctissima Eucharistia ministranda, cavebit, ut evitandi periculi, vel suspicionis causa, ne quid vel minimum, quod novum sit, administrationis ritum introducat, neve instrumentum, aliudve quid simile administrationem, pro digitis, vel adeo in iis ipsis, adhibeat. At, retenta superius indicata animadversione, quod scilicet S. Caroli gesta heroicis factis accensentur, nec Provinciali Synodo Mediolanensi legis auctoritas tribui potest extra Mediolanensis Provinciae fines, necesse fuit, aliunde examen, ac definitionem propositæ quæstionis repetere.

XXI. Docent nonnulli, vel ipso pestis tempore, ac etiam urgente contrahendi morbi periculo, nihil planè deflectendum esse ab usitato ministrandæ Eucharistiæ ritu; ideoque Sacerdotem teneri eandem suismet manibus ægro ministrare; idque non minus

nus ut vigens disciplina sarta tecta servetur, quam ut omne arceatur inconveniens, quod posset facile contingere, quoties aliis, ac aliis modis Eucharistia ministraretur; Bonacina de Sacramento Eucharistiæ disput. 4. quæst. 5. punct. 2. sub n. 9. Capisuech. in quæst. Moral. quæst. 2. pag. 81. Escobar tom. 3. quæst. 1. lib. 20. *problemat.* 98. Tambur. in *methodo Sanctiss. Communionis cap. 5. §. 10. num. 21. Quart. Ad Rubric. Missalis part. 2. tit. 10. sect. 3. dub. 3. difficult. 3.* Lacroix tom. 2. lib. 6. part. 1. num. 486.

XXII. Mitiores alii sunt, qui perpendentes ex una parte obligationem, qua in mortis articulo constituti tenentur sanctissimum Viaticum suscipere, ex alia verò onus, quod Sacerdoti incumbit, ut illud iis administret; optimum factu esse putant, omnem operam dare, ut facilius, quoad fieri potest, & expeditior evadat ministratio, atque ita omnis cavendi, seque excusandi facultas adimatur iis, qui nimia contrahendi morbi formidine omnem rationem comminiscuntur, qua onus ministrandæ Eucharistiæ peste laborantibus à se removeant. Itaque hi tuentur, quoties iniri possit ratio, seu methodus haud indecens, ministrandi peste contactis sacrum Viaticum, absque eo quod Sacerdos manibus ipse suis Sacramentum in os ægroti immittere cogatur, illius usum minimè esse interdendum: Bissus in sua *Hierarchia verb. Eucharistia*, pag. 408. Pasqualig. in *Theoria & Praxi juris, obligationum & privilegiorum eorum, qui in periculo, aut articulo mortis constituuntur*, q. 265. Gobat. *tract. 4. cas. 21. n. 433. & seq.* Mancin. in *Tractatu visitandi infirmos part. 8. dub. 18.* Vener. in *Examine Episcoporum lib. 4. c. 46. n. 47.* Bartholomæus Gavantus in *En-*

chirid. Episcoporum verb. Pestis num. 7.

XXIII. Alii tandem huic ipsi sententiæ adhærentes, ac eorumdem Doctorum, quos nuper citavimus, vestigia sequentes, varios proponunt modos ministrandi Eucharistiam peste correptis; absque eo quod Minister id propriis manibus præstet; ex quibus sanè modis aliqui improbantur, veluti minus ruti atque decentes; nonnulli verò satis apti existimantur, congruentesque functioni peragendæ tempore pestis ab eo, qui sacrum Viaticum ministraturus, timet, ne nudis manibus illud ministrans, pestilenti morbo corripatur.

XXIV. Primæ classis accensentur sequentes modi; inserendi nimirum Eucharistiam in panem domesticum, vel inter duas non consecratas particulas, extrema earum parte madefacta, ut sibi invicem adhæreant, commonefacto inde ægrotante, delitescere intra panem domesticam, vel inter particulas non consecratas, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum. Hanc alii methodum exhibent: aureo scilicet, vel argenteo forcipe Eucharistiam apprehendendi, aut eam collocandi super extremitate oblongæ laminæ, quæ in semicirculi formam desinat, atque ita eandem exporrigendi ægroto, qui peste laborat. Est etiam, qui suggerat, ministrari posse sacrum Viaticum manibus chirothecis indutis. Neque desunt qui consentiant, ut, dum periculum pestis imminet, plures sacratæ Particulæ tradantur rectè se habentibus, qui eas religiosè servant, ac, ubi peste corripantur, cum debita veneratione suscipiant. Improbantur itaque omnes recensiti modi, vel ob periculum gravis alicujus inconvenientis perfacile eventuri, quoties aliquo ex his modis Eucharistia ministraretur; vel ob indecentiam, quæ, alio aliquo ex

illis in praxim deducto, nullatenus evitari posset.

XXV. Ex secunda classe sunt alii mox recensendi modi; apponendi scilicet Sacramentum in mensula decenter parata, Sacerdote commonefaciente infirmum, ut eo vescatur, nec inde abscedente, quousque ægrotans sacram Particulam sumpserit, ac deglutierit; qua in re exequenda, nonnulli addunt, posse sacram Particulam immitti in vasculum, in quo vini non consecrati, vel aquæ haustus contineatur, eaque ratione facilem æquè, ac decentem modum haberi dicunt; ut Sacerdos non cogatur manibus ipse suis Sacramentum infirmi labiis admove: atque hi sunt probati modi. De duabus hisce classibus, tam scilicet de rejectis improbatisque, quam de receptis atque probatis modis administrandi Eucharistiam infectis peste, congruenter ad ea, quæ hucusque adnotavimus, disserunt Chapeville in *Tractatu de necessitate & modo ministrandi Sacramenta tempore pestis à q. 30. ad quæst. 35.* & Sylvius in *Additionibus ad 3. part. D. Thomæ quæst. 32. art. 3. concl. 4. pag. 589 & seq.* In Gallia, sive in aliquibus illius regni diocesisibus, sacrum Viaticum peste infectis ministratur involutum charta, vel brevi ligneo panno, qui ibi constituitur, unde possit ab ægrotante apprehendi; veluti testatur Pontas præcitato loco. Fertur Præsul de Marchis Archiepiscopus Smyrnæ, ejusmodi nempe civitatis, quæ frequenti peste obsidetur, indulgere consuevisse, ut Eucharistia poneretur super mensulam, cui imposita fuisset albæ mundæque chartæ plagula, quæ suscepta ab ægro sacra Particula, statim igne combureretur. Et quidem Auctores proclives sese exhibent in eam opinionem, quæ admittit, ut Eucharistia in mun-

do decentique loco deponatur, ex quo eam suscipiat, absumatque is, qui peste laborat. Videantur *Lean-der part. 2. tract. 7. de Eucharistia disp. 4. quæst. 20.* Passerinus in *3. part. S. Thomæ q. 62. n. 33. & 34.* qui valdè mirantur, Dianam tom. 2. tract. 2. resolut. 100. *editionis coordinatæ*, hunc quoque modum improbare, cum cæteroquin ipse alibi docuerit, si æger deglutire nequeat sacram Particulam, condendam eam esse in vasculo unâ cum aquæ, vel vini non consecrati haustu, ut ira eam æger facilius absorbere valeat. Siquidem in hac quoque facti specie contigit, quod is, qui sacro pabulo reficitur, illud è Sacerdotis manibus immediatè non sumit; quod planè illud est, quo præfatus Auctor impellitur ad rejiciendos modos, quos cæteri in Eucharistia peste laborantibus ministranda adhibendos proposuerunt, atque probarunt.

XXVI. Muratorius in *Tractatu superius citato de Peste lib. 3. cap. 4. pag. 366. & seq.* valdè proclivem se ostendit in aliquam idoneam, honestamque rationem, qua & ministratur pestilenti morbo laborantibus Eucharistia, & simul ministrantium indemnitati consulatur; scitè animadvertens, aut oportere ex ritibus, qui secundis rebus atque temporibus religiosè servantur, metiri ac definire eos, qui luctuosissimorum temporum duræ necessitati possint congruere. Vult tamen, id omne moderandum ac definiendum esse judicio Episcopi cujusque loci, nec integrum esse singulis Sacerdotibus eam, quam quisque maluerit, rationem seligere. Porro, congruenter ad hoc idem systema, post accuratum rei examen, rescriptum fuit postulato Vicarii Apostolici Juliae Cæsareæ; videlicet, advigilandum ipsi esse quammaximè, ut peste cor-

rep-

reptis Sacramenta ministrarentur: quo verò ad modum administrandæ Eucharistiæ, si Sacerdotes deprehendisset alienos, atque abhorrentes à ministratio- ne suis manibus peragenda, modum ipse statueret, auditu prudentum consilio, atque præ oculis habito decore in tanti Sacramenti administrationis servando, ut quidquid eidem usurpans deprehenderet, omnino usurpanti prohiberet. Neque enim facile visum est, à longe interroganti responsum reddere, quo certus modus, certa- que ratio ineunda præscriberetur; ad hoc enim omnino fuisset opus ob oculos habere omnes circumstantias, easque præsertim, quæ possent regioni congruere, ac perspectos habere modos, qui, dum alias pestis, ea in regione satis superque frequens grassaretur, in usum & praxim fuerunt deducti.

XXVII. Suarez tom. 3. in *3. part. S. Thomæ disp. 82. sect. 3.* quæstionem instituit, an omnino necesse sit, ut is, cui Eucharistia ministratur, alius sit ab eo, qui eam administrat; & consequenter, an liceat laico sibi ipse Sacramentum hoc ministrare; respondetque, licere id laico, quoties in extremam mortis necessitatem con- jectum se sentiat, nullusque reperiri possit Sacerdos, qui ipsi Eucharistiam ministret. Quam in rem utitur exemplo Mariæ Scotorum Reginae, quæ antequam martyrium subiret, „Sa- cramentum, quod apud se habe- bat, propriis manibus sumpsit, cum summa omnium laude; &, quam- vis fortassè habuerit amplam circa hoc Pontificis concessionem, tamen etiam sine illa piè & sanctè fecisset.“ Cardinalis Bona, Martene, & Morinus monumenta afferunt omni exceptione majora, ad evincendum, laicos, juxta veterem disciplinam, Dominici Corporis participes fieri

consuevisse, accipiendò à Sacerdote Eucharisticum Panem, eumque suis manibus in propriam os inferendo; quod quamvis nunc temporis obsoleverit, haud tamen damnari mereretur Sacerdos, qui sacro Viatico reficiendos, annuente Sacerdote ministrante, illud manibus susciperet, atque ad os suum ipse admoveat. Egimus ipsi hac de re in nostro opere *de Canoniz. Sanctor. lib. 3. cap. 38. num. 17.* & in alio Opere nostro *De Sacrificio Missæ sect. 1. num. 345. & sect. 2. num. 153. Latina editionis.* Verum, redeundo ad veterem usitatum morem, exploratum est, consuevisse viros in nudas manus Eucharistiam excipere, mulieres verò in album pannulum. Gregorius tom. 3. *Liturgiæ Romani Pontificis cap. 19. num. 4.* quærit, an albus ille pannulus, in quem mulieres sacram Eucharistiam excipiebant, ut eam inde suis manibus susciperent, appellaretur *Dominicale*, uti concedunt Baronius, Binius, Sirmondus, & Mabillonius; an potius *Dominicale* esset, ac diceretur velum illud, quo caput obtegebant; cum ad sacram Mensam accedebant. At, quidquid sit de erudita hac controversia, illud certum est, per plura sæcula laicos, qui sacra Communionem reficiebantur, in proprias manus excepisse Eucharistiam, suisque itidem manibus illam in os intulisse; foeminas verò Eucharistiam suscepisse in album pannulum, eandemque subinde suis, & ipsas manibus ad os transtulisse. Ideoque, si nullo expresso præcepto caveatur, ut, dum laici sacra Communionis participes fiunt, alia sit ministrantis, alia verò susipientis persona; si pluribus labentibus sæculis Eucharistiam acceperunt laici, viri quidem in nudas manus, mulieres autem in album pannulum; si huic rei nil aliud objicitur, quam

quam

quam subsecutus contrarius usus; neque modò contenditur, ut, hoc sublato, mos ille vetustior universim redintegretur; sed tantummodò ut certo, nec ita frequenti casu, scilicet pestis, ad faciliorem & expeditiorem reddendam ministracionem sacri Viatici; miseris moribundis exhibendi, remoto simul à ministris, quantum fas est, appetendæ mortis timore, ac periculo, possit Episcopus, adhibitis in consilium sapientibus viris, modum aliquem, aptumque ejusmodi ministracionis rationem permittere, quamvis ei juncta esset implicita veluti facultas, ut is, qui sacro Christi corpore reficitur, suis ipse manibus sacram Particulam apprehendat, atque in os suum inferat, magnis profectò animis opus est, ut tam æqua, tam proficua moderatio improbetur ac rejiciatur, miseris ægrotos eò calamitatis adigendo, ut proximum incurrant periculum ex hac vita decedendi sine Viatico; quemadmodum animadvertit Pontas, *verb. Communio, cas. 18.* subditque etiam Muratorius *loc. sup. cit.*

XXVIII. Thomas Cardinalis Cajetanus in *Comment. ad cap. 26. S. Matthæi vers. 26.* ad illa verba *Accipite, & comedite*; scribit quæ sequuntur: *Adverte hic, quod, sicut Ecclesia laudabiliter, pro reverentia Eucharistiæ, non utitur Eucharistiæ cibo, nisi jejuna (excepto extremæ ægritudinis articulo), licet Dominus inter coenandum communicaverit Discipulos; ita laudabiliter pro reverentia Eucharistiæ, abstinet ab isto modo manducandi. Accipite, comedite: ut non nisi sacris manibus tangatur Eucharistia. Verùm, ad imitationem Christi, communicare tali modo in articulo necessitatis, non esset inconveniens; sicut etiam non jejunos, ut dictum est, in articulo ne-*

*cessitatis communicamus. Esset autem necessitatis articulus, si tempore epidemiæ non haberetur Sacerdos, qui propè offerret Eucharistiam; & locando super preparato loco, diceret communicaturis propè expectantibus, & adorantibus: Accipite, comedite; possent enim reverenter accipere, & comedere; sicut fecerunt Christi Discipuli, qui acceperunt à Jesu, non manu ad manum, sed ex mensa; cum sederent multi in tanta distantia, ut manus Jesu manibus eorum non possent jungi. Crediderim ego, quod, sicut unum calicem communem omnibus tradidit, ita in una patina partem in duodecim bucellas fractam, manibus propriis tradiderit; & quod hinc Ecclesia usum patinarum Apostolica traditione acceperit; ita quod, sicut calicem unus discipulus dedit alii, ita patinam cum pane sancto, propinquiores Jesu remotioribus successivè porrexerint." Hactenus Cajetanus. Doctrina hæc displicuit Ambrosio Polito Catharino Archiepiscopo Compsæ, Scriptori suppari ipsi Cajetano; ambo enim floruerunt sub initium XVI. sæculi; nec dubitat Catharinus, tamquam reum contemptus, & irreverentia erga Eucharistiam, Cajetanum traducere sequentibus verbis *pag. 421. lib. 5. Adnotationum contra Commentaria Cajetani edit. Lugdunen. ann. 1545. Quod novum quoque modum ministrandi hoc Sacramentum Cajetanus tradiderit, videlicet per manus laicorum, & instrumenta inanimata, ob metum contagionis, & ut etiam ipsi peste laborantes propriis manibus sibi ministrarent, spectare ad contemptum tantissimi Sacramenti non dubito. Præterquam enim quod est hæc nova, & singularis ejus traditio, adversatur etiam aliorum doctrinæ. Nam Petrus de Palude**

*in 4. longè prudentius docet, in quacumque causa non licere laicis nec sibi, nec aliis, hujusmodi Sacramentum ministrare. Quanto minus hoc permitti debet peste laborantibus, qui plerumquè mania corripiuntur; & quanto etiam minus per instrumenta inanimata? Sed Catharinum excessisse in censura, tum quia non fideliter Cajetani sententiam retulerit, tum quia non admodum solidè eam impugnaverit, facillimè ostenditur. Cajetanus non concedit laicis tempore pestis, tangere manibus Eucharistiam; sed illam à Sacerdote depositam in loco apto, admoto ore, assumere. Nec sumentes hoc modo dicerentur propriè Ministri Eucharistiæ, sed cooperarentur ministracioni; ut sanè omnes laici cooperantur, dum ore à Sacerdote suscipiunt Eucharistiam; uti scitè notavit Gabriel Henneus *Tractat. de Eucharistia disput. 15. sect. 3. num. 45.* qui licet pluribus confirmet, solum Sacerdotem esse Ministrum hujus Sacramenti; tempore tamen pestis, juxta Cajetani placitum, admittit, infirmis posse porrigi in Patena, vel alio mundo vase, ex quo, ore admoto sumant; nec proinde concedit, in tali eventu infirmum fore Ministrum Sacramenti. Paludanus verò in *4. sent. dist. 27. quest. 1.* nihil habet contra sententiam Cajetani; solum enim docet in genere, Ministrum Eucharistiæ esse Sacerdotem, de quo nemo dubitat; de eventu verò pestis tacet omninò. Quod addit Catharinus de mania, non est ad rem; si qui enim sint laborantes peste, qui etiam mania correpti deprehendantur, cum dignè & reverenter, ob maniam, sumere non possint, neque à manibus Sacerdotis sumere debent. Cæterum pro sententia Cajetani tempore pestis, præter supra cumulos, stant quoque Hieronymus*

Venerus Archiepiscopus regalis Montis in *Examine Episcoporum lib. 4. cap. 46. num. 47.* Marchantius in *Horto Pastorum tract. 6. lect. 4.* Novatus, & alii.

XXIX. Administrationem Eucharistici Sacramenti subsequitur demùm Extremæ Uctionis ministratio; de qua quidem parùm nobis disserendum est, quod pertinet ad partes corporis sacro Oleo liniendas, cum jam constitutum sit, ut, dum contagiòsi morbi grassantur, ad evitandum contagionis periculum, sufficiat inungere organum illius sensus, qui patentior, sive inunctioni magis expositus se offert, proferendo interim Sacramenti formam sequenti ratione: *Per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quicquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, tactum, &c.* uti supra *lib. 8. cap. 3. num. 4.* ostendimus. Videri quoque possunt Natalis Alexander in *sua Theologia dogmatica, & morali tom. 1. lib. 2. de Extrema Uctione, cap. 5. regul. 6.* Herminier in *Tract. de Sacramentis tom. 3. de Extrema Uctione c. 2. §. Quæres utrum plures.* Tournely in *suis Prælectionibus theologicis de Penitentia, & Extrema Uctione, §. Quæres tertio, pag. 35. impressionis Parisiensis anni 1728.* modernus Benedictus Gaetani, Episcopus Collensis, in *sua disceptatione historica de Extrema Uctione cap. 8. pag. 98.* & omnium latissimè Diana in *editione coordinata tom. 3. tract. 1. resolut. 60.* Quapropter illud tantummodò discutiendum superest, an tempore grassantis pestis liceat Sacramentum Extremæ Uctionis ministrare, seu Uctionem sensus peragere, adhibita oblonga virga, cujus extremæ parti alligatus sit, firmiterque adhereat gossipii pugillus sacro inbutus Oleo, quo scilli-

scilicet contingatur, & liniatur pars illa corporis, quæ sola inungitur, cum Sacramentum peste laboranti administratur.

XXX. Ratio hæc, sive methodus ministrandi Extremam Unctionem probatur à Saintebeuve tom. 3. cas. 88. ac fertur etiam in praxim deducta per plures Gallia dioceses, quas pestis incerserat; uti testatur Pontas *præcitato loco verb. Comm. cas. 18. verb. Curatus cas. 4.* Consentunt plures alii Auctores: Sylvius in *Additionibus ad 3. part. S. Thom. quæst. 32. art. 7.* ubi disserens de Sacerdote Extremam Unctionem ministrante ei, qui peste laborat, hæc habet: *Uti potest virga oblonga, verè tamen Oleo tincta, sic ut perficiatur Unctio, &c. Peracta autem Unctione, virgam ejusmodi aut purgabit, ac in similem usum servabit, si aurea sit, vel argentea, propter reverentiam Sacramenti; vel igne comburet, si sit lignea: & ante Sylvium id ipsum docuerat Chapeauville in cit. Tract. de necessitate, & modo ministrandi Sacramenta tempore pestis, quæst. 39.* ubi rectè concludit, dum, sæviante peste, Sacramentum Extremæ Unctionis hoc modo ministratur, nihil desiderari, quod ad substantiam pertineat, sive ex parte formæ, sive etiam ex iis, quæ præstanda sunt à Ministro, qui verè dicitur ungere, licet memorata virga utatur; quomodo eum scribere affirmamus, qui ad litterarum characteres efformandos calamo utitur. In Rituali Romano in Ordine ministrandi hoc Sacramentum hæc verba legantur: *Deinde intincto pollice in Oleo sancto, in modum Crucis unguin infirmum; ex quibus oritur obligatio, semota necessitatis causa, sectandi præscriptam ibi methodum; ita ut, qui secus agit, peccati reatum incurrat. At quoties adsit gravis urgensque necessi-*

tas expeditos facilesque inveniendi modos, quibus, pestifero morbo infecti hujus Sacramenti participes fieri possint, nulla subest justa ratio, quæ possit Episcopum remorari, nec facultatem faciat Sacerdotibus Extremæ Unctionis Sacramentum superius indicato modo administrandi. Videatur hac ipsa de re Pasqualigus memorato *Opere quæst. 356.* ubi postquam sedula cura colligit Doctores omnes, qui in eandem sententiam consentiunt, hæc addit n. 3. *Dicendum est; Extremam Unctionem ministrari posse mediante aliquo instrumento ex causa rationabili, qualis esset ad evitandum periculum infectionis tempore pestilentia. Ratio autem est, quia etiamsi Minister utatur instrumento aliquo, adhuc tamen verè, & in communi estimatione dicitur ungere; siquidem frequenter unctio solet fieri mediante aliquo instrumento; & ideo salvatur, quod Minister sit causa effectiva Unctionis, ex generali ratione, quod actio, quæ fit mediante aliquo instrumento, dicitur esse immediatè ab agente principali, cum instrumentum non agat, nisi ut motum ab illo. Præter Auctores autem inibi ab eo congestos, huic quoque sententiæ subscribunt Suarez in 3. part. S. Thomæ tom. 4. disp. 44. sect. 3. sub n. 10. pag. 549. Veneria impressionis anni 1605. Giribad. de Sacramentis in genere tract. 1. c. 1. dub. 4. n. 26. Rosignol. tom. 16. part. 2. de Extrema Unctione q. 5. art. 5. num. 5. & 6. Lacroix lib. 6. part. 2. de Extrema Unctione n. 2115. Wigandt in Tribunali Confessoriorum tract. 14. exam. 4. sub num. 107. & 117. Duhamel tom. 7. Theologia tract. de Extrema Unctione diss. 2. cap. 1. sub num. 2. Diana in edit. coord. tom. 2. tract. 4. resol. 34. & 35. Zuccherius verò in Decisionibus Cleri Patavini anni 1708. cas. 1. dis-*

usso mense Octobris dub. 2. in hanc ipsam sententiam eò propensiolem se esse fatetur, quòd eam admissam & traditam videat ab iis quoque, qui in Eucharistia ministranda non consentiunt posse Sacerdotem aliam inire rationem, quam ut sacram Particulam in os ægroti peste laborantis propriis manibus inferat.

CAPUT XX.

De postulatis spectantibus ad Christianos Turcarum Imperio subjectos.

Retulerunt Albania Episcopi, pauperes Catholicos illius regionis hanc plerumquè artem exercere, ut naves suas onerent tormentis bellicis, tum majoribus, tum minoribus, ensibus, plumbeis globulis, nitro pulverere, ære, ferro, chalybe, finibus rudentibus, aliisque rebus ad onerarias æquè, ac bellicas naves instruendas necessariis, eaque omnia ad Turcas transvehant; neque verò hanc artem intermittere eos posse; tum quia Turcico imperio subduntur, ejusque gravissimo premuntur jugo, nec alia ratione ærumnosam vitam tolerare, suasque inopes familias sustentare valent; tum etiam ut habeant, unde tributum iisdem Turcis persolvant, quo non soluto, omninò perderentur. Quoniam verò hæc omnia Ecclesiasticis sanctionibus prohibentur, subdiderunt iidem Præsules, facere se non potuisse, quo minus à Sancta Sede implorarent pro Catholicis sibi subditis privilegium quod & eorum conscientiam solaretur, & facultatem iis afferret id ipsum persequendi, sublato periculo incurrendi poenas & censuras indictas in eos, qui id agunt, quod à memoratis populis hucusque factitatum esse fatebantur.

II. Sanè, præmissa omnia cano-

nicis sanctionibus esse vetita, perspicuum fit *ex cap. Ita quorundam, ex cap. Significavit, cap. Quod olim, cap. Ad liberandam, de Judæis, & Saracenis, cap. Multa, lib. 5. Extravagantium communium, cap. univ. de Judæis, inter extravagantes Joannis XXII.* præter id quod legitur in Bulla Ccenæ Domini, quæ singulis annis iterum solemniter publicatur. Præterea similis prohibitio deferendi arma, & bellica instrumenta ad hostes reipublicæ, ex civilibus etiam legibus oritur, nimirum *ex l. Nemo, Cod. Quæ res exportari non debeant, l. fin. Cod. de Pænis.*

III. Putarunt nonnulli, interdictum illud ne arma, ac bellica instrumenta deferantur ad Turcas, originem simul & causam duxisse à Crucesignatorum expeditionibus toties indictis, atque susceptis ad Terram Sanctam ex hostium manibus redimendam; propterea quod hujusmodi bellicorum instrumentorum ad Turcas transvectio eo tempore facta magnum detrimentum Christianæ rei inferre potuisset; ideo, quoties Crucesignatorum expeditio non habeatur, & quoties bellum in Turcas actu non ferveat, locum hujusmodi sanctionibus esse non debere. Nos autem haud quidem inficiabimus, nonnullas ex præindicatis prohibitionibus tunc prodiisse, cum sacrum bellum à Crucesignatis gerebatur, & memoratæ rationi proximè innixas fuisse. Hujusmodi planè est illa, quam Beatus Gregorius X. edixit in sua Constitut. 2. cui initium *Adaperiat, num. 2. part. 2. tom. 3. Bullarii Romani novissimæ editionis: Nonnulli maledictionis alumni, solo nomine Christiani, terrena dumtaxat non cælestia sapientes, & innitentes perniciosæ lucrorum studiis, ut in voluptuosæ vitæ facibus latius debacchantur, victualibus, armis, vasis, na-*